



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

specialia : Sed qui evidenter cognoscit extra visionem beatificam, Deum revelare veritates nostræ fidei, loquendo de ipsis in sensu proprio, & non mentiendo, evidentiam habet de illis, solum quoad rationem eis communem : Ergo potest adhuc eas credere, quoad prædicata quilibet specialia. Minor est certa : qui enim evidenter extra visionem beatificam cognoscit, Deum veritates fidei nostræ, in sensu proprio, & non mentiendo, revelare, evidentiam habet de illis, duntaxat quoad ipsarum revelationem, quæ, ut constat, est quid eis commune. Major verò probatur : Ideo solum qui evidenter cognoscit nostræ mysteria esse credibilia, potest tamen, etiam juxta doctrinam Adversariorum, ea quantum ad prædicata specialia credere, quia evidentia credibilitatis est evidentia rationis, non specialis, sed communis omnibus mysteriis : Ergo similiter qui cognoscit evidenter veritates nostræ fidei, non quoad rationes ipsis proprias, sed tantum quoad rationem illis omnibus communem, potest eas, quantum ad prædicata ipsis specialia, credere. Sicut in humanis licet aliquis evidentem habeat cognitionem de aliqua re secundum rationem communem & genericam, puta quoad rationem corporis, vel animalis, potest tamen adhuc habere fidem humanam circa prædicata ipsi specialia, & credere alteri homini dicenti, quod res illa sit leo, vel homo, vel Petrus, aut Joannes.

208

Probatur tertio conclusio : Angelus ante beatitudinem, & in statu viæ, habuit fidem, ut docet S. Thomas infra quæst. 5. art. 1. & tamen supremus Angelus habebat evidentiam in attestante mysteriorum quæ Deus ipsi tunc revelavit : cum enim evidenter cognosceret se esse supremum & primum Angelorum, subindeque non posse ab alio illuminari (illuminatio enim est superioris ad inferiorem) evidenter etiam cognoscebat, quod Deus immediate ipsi loquebatur, & sua mysteria revelabat : quin imò omnes Angeli videntur fuisse immediate illuminati à Deo de mysteriis fidei, habuerunt enim illorum revelationem in primo instanti suæ creationis, in quo solus Deus poterat eis loqui ; nam cum omnes simul creati sint non poterat aliquis eorum præsupponi, ut alium illuminaret, subindeque omnes cognoscebant se immediate à Deo illuminari, & tamen in eo instanti habebant fidem : Ergo fides stare potest cum evidentia divinæ testificationis seu revelationis, quæ evidentia in attestante dicitur.

209

Huius argumento, quod efficacissimum est, varietate occurrunt Adversarii. Quidam dicunt, quod licet primus Angelorum videret se esse supremam omnium creaturarum quas cognoscebat, poterat tamen existimare, quod Deus per miraculum occultaret sibi creaturam superiorem, quæ mediante proponeretur res fidei. Alii asserunt, quod Angeli in primo instanti non cogitabant, nec attendebant, quod Deus, qui est prima veritas, nec poterat fallere, nec falli, evidentia autem in attestante, de qua in præsentis est quæstio, debet habere conjunctam evidentem cognitionem, quod Deus nec falli, nec fallere potest, ut suppositione 3. annotavimus. Tertio Joannes à S. Thoma, loco suprà citato, respondet quod Deus non revelavit Angelo evidentem determinatum sensum in quo loquebatur, sed locutus est cum aliquo mysterio, & includendo plures sensus, quorum determinationem non evidenter, sed cum aliqua obscuritate, Deus proponebat An-

gelo : Sicut modò in Sacra Scriptura multa mysteria sunt recondita, quorum ipsi Prophetæ, quando ea scribebant, aut dicebant, determinatum & genuinum sensum evidenter non cognoscebant.

Sed hæc frivole & gratis dicuntur : In primis enim nulla prorsus erat ratio, ob quam primus Angelorum suspicaretur sibi proponi res fidei ab aliqua creatura, quæ ipsum lateret ; nam ille evidenter cognoscebat se esse supremum Angelorum, & quod ipsi debebatur connaturaliter cognitio Angeli alterius, si daretur, & alias nulla apparebat causa, quæ Deus moveretur ad denegandum ei quod ipsi erat debitum connaturaliter. Ergo absque fundamento asseritur talis existimatio in Angelo supremo. Adde quod, juxta illam responsionem, lateri necesse est, quod tunc miraculo non potuerit esse fides in primo Angelorum, quod dicendum non est.

Gratis etiam & absque fundamento recurritur ad inadvertentiam, per quam primus Angelorum in primo instanti non adverterit, quod Deus, qui est prima veritas, nec falli, nec fallere potest : non enim apparet ex quo capite impediretur Angelus, ne in eo instanti ad veritatem tam claram & evidentem attenderet ; quin imò debebat attendere ad illam, antequam eliceret ædum fidei : nam cum alicui proponitur credenda aliqua veritas difficilis & supra naturam, non potest non cogitare, neque non attendere ad auctoritatem dicentis, ex qua debet moveri ad credendum, ut constat manifestè in omnibus quibus proponitur divina fides, & facilius intelligitur in Angelo cognoscente evidenter revelationem esse à Deo.

Non videtur quoque probabile, nec verisimile, quod mysteria fidei, quæ nobis sine ambiguitate fuerunt revelata, fuerint supremo Angelo indeterminatè & confusè proposita, & ubi nobis litteraliter & clarè dictum fuit, Deum esse Trinum & Unum, supernaturalem præmiatorem, Verbum divinum esse Incarnatum, &c. Angelo fuerit confusè revelatum.

D

S. II.

Solvantur obiectiones.

Obijcies primò contra præcedentem conclusionem : Qui evidenter cognoscit aliquam veritatem, non potest eam simul credere ; alias enim cum assensus fidei sit cognitio obscura, posset quis evidenter simul & obscurè eandem veritatem cognoscere : Sed qui evidenter cognoscit Deum esse summè veracem, eumque aliquam veritatem nostræ fidei revelare, & in quo sensu eam revelet, evidenter eo ipso cognoscit talem veritatem ; id enim cujus revelatio est evidens, non est obscurum, sed manifestum : Ergo non potest eam credere, subindeque fides cum evidentia in attestante stare nequit.

Confirmatur primò : Qui evidenter cognoscit medium, evidenter cognoscit etiam conclusionem, quæ necessariò & evidenter ex illo inferitur. Sed summa Dei veritas, ejusque de aliqua propositione testimonium, est medium ex quo talis propositio necessariò & evidenter inferitur : propterea enim ille syllogismus, *Quidquid à Deo, qui summè verax est, revelatur, intellectum eo sensu quo revelatur, est verum : Atqui Verbum carnem esse factum, revelatum est à Deo, qui summè verax est : Ergo hæc propositio, Verbum caro factum est, eo modo intellecta quo à Deo revelata fuit, est*

est vera: iste, inquam, discursus, est necessarius A
& evidens in eo qui evidenter cognoscit veritatem majoris & minoris ipsius: Ergo qui evidenter cognoscit Deum esse summè veracem, eumque aliquam veritatem revelare, & simul in quo sensu ipsam revelet, evidenter cognoscit talem veritatem, proindeque non potest eam credere.

Confirmatur secundò: Qui evidentiam habet de visione beatifica, evidenter eo ipso divinam essentiam cognoscit etiam in seipsa: Ergo similiter, qui videt revelationem alicujus veritatis à Deo fieri, evidenter talem veritatem in seipsa cognoscit.

Respondetur ad objectionem, distinguendo Majorem: Qui evidenter cognoscit aliquam veritatem, tam in medio ipsi intrinseco, & proprio, quam in communi & extrinseco, non potest si-
B mul eam credere, concedo: Qui evidenter cognoscit veritatem aliquam, præcisè in medio ei extrinseco, & communi, subdistinguo, non potest eam credere, quoad rationem communem, sive quoad connexionem quam habet cum tali medio, concedo Majorem: quoad rationem specialem, sive quoad connexionem quam habet cum alio medio sibi intrinseco & proprio, in quo non videtur, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Qui evidenter cognoscit Deum esse summè veracem, eumque veritatem aliquam revelare evidenter, ipsam cognoscit in medio intrinseco & proprio tali veritati, nego Minorem: in medio illi extrinseco & communi, concedo Minorem. Et eodè modo distinguo Consequens: Ergo non potest veritatem illam credere, quoad rationem ei communem, sive quoad connexionem quam habet cum medio extrinseco in quo cognoscitur, concedo: Quoad rationem specialem, sive quantum ad connexionem quam habet cum medio intrinseco in quo non cognoscitur, nego.

Explicatur distinctio: Duplex est medium connexionem habens cum veritate nostræ fidei, v. g. cum humanitate Christi, unum ei extrinsecum & commune cum aliis veritatibus ad fidem pertinentibus, nempe divina revelatio; & aliud ei intrinsecum, & proprium, nimirum rationalitas, vel
D risibilitas Christi: licet autem qui evidenter cognoscit Deum esse summè veracem, eumque revelare quod Christus sit homo, & in quo sensu veritatem illam revelet, evidenter eo ipso cognoscit talem veritatem, in medio ipsi extrinseco & communi, nempe in testimonio quod Deus dat de illa, subindeque non possit veritatem illam credere, consideratam secundum quod continetur in divina revelatione; non tamen propterea eandem veritatem, sive humanitatem Christi, cognoscit evidenter in medio ipsi intrinseco, & proprio, nempe in rationalitate, vel risibilitate, atque adeo potest eam credere, ut contentam in illo. Et per hoc patet ad primam confirmationem: distinguenda enim similiter est Major: Qui evidenter cognoscit medium, evidenter cognoscit conclusionem quæ manifestè ex illo sequitur, formaliter consideratam, ut sequitur ex tali medio, concedo: consideratam, ut continetur in alio medio sibi intrinseco & proprio, in quo non videtur, nego.

Ad secundam confirmationem, nego consequentiam, & paritatem: Ratio disparitatis est, quia cum visio beatifica specificetur intrinsecè & essentialiter à divina essentia, subindeque sit medium ei intrinsecum, non potest evidenter cognoscisci, quin simul eo ipso evidenter cognoscatur di-

vina essentia, etiam in seipsa, saltem quoad
217 est: at vera divina revelatio à nulla ex veritatibus, quæ sub ipsa cadunt, specificatur intrinsecè, sed omnino accidentaliter & extrinsecè se habet ad illas: unde ex eo quod manifesta de illa habeatur notitia, evidenter quidem cognoscitur veritas revelata extra seipsam, nempe in Deo ipsam testificante & revelante, non tamen in seipsa.

Instabis tamen: Qui habet scientiam à posteriori de aliquo objecto nostræ fidei, non potest ipsum credere: Ergo neque qui evidentiam habet de illius objecti revelatione à Deo facta. Antecedens constat ex dictis articulo præcedenti: idè enim diximus, Philosophum Christianum non posse habere fidem de ista veritate, Deus existit, quia de ipsa habet demonstrationem à posteriori. Consequentia verò probatur: Qui habet scientiam à posteriori de objecto fidei, sive de existentia Dei, videt tantum ipsam in medio ei extrinseco, nempe in ejus effectu, non verò in medio intrinseco; effectus enim à Deo producti, non sunt ipsi intrinseci, sed omnino extrinseci: Ergo si nihilominus talis evidentia objecti excludat fidei assensum de illo, evidentia similiter veritatis in divina revelatione tanquam in medio extrinseco, non compatitur fidem circa illam veritatem.

Respondetur concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Ad ejus probationem, distinguo Antecedens: Qui habet scientiam à posteriori de existentia Dei, videt illam in medio tantum ei extrinseco formaliter, concedo: in medio ei extrinseco etiam virtualiter, nego Antecedens, & Consequentiam: revelatio enim divina est medium extrinsecum tam virtualiter quam formaliter objecto revelato.

Explicatur solutio: Cum omnis effectus sit, non quidem formaliter, sed virtualiter in sua causa, & Deus sit primum efficiens omnis entitatis, quælibet creatura potest dici, quoad omnia quæ habet, virtualiter Deo intrinseca: At verò divina revelatio, quamvis sit causa efficiens esse extrinseci veritatem nostræ fidei, nempe esse revelati, esse testificati, non tamen esse intrinseci illarum, subindeque nullo modo, etiam virtualiter, saltem quoad esse proprium & intrinsecum quod habent, dici possunt ei intrinsece.

Obijcies secundò: Si habens evidentiam de divina alicujus veritatis revelatione, possit tamen eam credere, sequeretur quod beati possent habere fidem de perpetuitate suæ gloriæ, & de futuris contingentibus non pertinentibus ad ipsorum statum: Sed hoc non potest dici, juxta doctrinam Divi Thomæ, & Discipulorum ejus, fidem in beatis non admittentium: Ergo nec illud. Sequela probatur: Beati non cognoscunt perpetuitatem suæ gloriæ in ipsa, aut in verbo, sed solum in voluntaria Dei revelatione; non enim eo ipso quod vident divinam essentiam, necesse est quod videant perpetuitatem suæ beatitudinis: similiter futura contingentia quæ cognoscit beatus si non pertineant ad ipsius statum, non videntur ab eo, nec in seipsis, nec in essentia divina, sed solum in divina revelatione: Ergo si habens evidentiam de divina alicujus veritatis revelatione, possit eam credere, poterit beatus credere perpetuitatem suæ gloriæ, & futura contingentia ad ipsius statum nullo modo pertinentia.

Respondetur negando utramque sequelam. Et ad probationem, quoad perpetuitatem gloriæ, nego quod beati eam non videant in divina essentia:

Gg

cum

Tom. IV.

quoniam enim de ratione beatitudinis perfectæ & consummatæ, qualis est beatitudo patriæ, sit evidentia perpetuitatis ipsius, necesse est quemlibet beatum in divina essentia, cuius visio est tota beatitudo, videre perpetuitatem suæ gloriæ. Quantum verò ad futura contingentia, dicunt aliqui quod cum omnis obscuritas statum beatitudinis dedecet, Deus revelat extra visionem divinæ essentia cuilibet beato futura contingentia, ad ipsius statum pertinentia, revelat, inquam, illa per impressionem clari luminis ea in seipsis manifestantis. Sed dato quod sine evidentia in seipsis revelentur à Deo in statu beatitudinis, nego quod propter ea beati, etiam stando in nostra doctrina, fidem de illis habeant: cum enim videant objectum primum suum nostræ fidei, nempe Deum ut Unum & Trinum, in seipso, subindeque ipsum non credant, nequeunt retinere fidem circa objectum secundaria fidei, qualia sunt futura contingentia, quamvis obscure cognita: sicut ex eo quod objectum primum spei possideant, nempe beatitudinem animarum, non retinent spem circa objectum ejus secundarium, videlicet circa beatitudinem corporis, licet nondum eam possideant.

222 Ex dictis hæcenus in resolutione præsentis difficultatis collige, evidenter cognoscetes Deum revelare mysteria nostræ fidei, in hoc differre à cæteris fidelibus, qui hanc evidentiam non habent, quod isti habent fidem, non solum de mysteriis revelatis, sed etiam de eorum revelatione, illi verò solum de mysteriis revelatis.

ARTICULUS VIII.

An objecta seu mysteria fidei Christianæ sint evidenter credibilia?

223 Occasione desumpta ex doctrina D. Thomæ hic art. 4. ad 2. & ad 3. ubi docet mysteria fidei in generali, & sub ratione credibilis, videri ab eo qui credit, disputant Theologi in præsentem, an mysteria nostræ fidei sint evidenter credibilia, id est, an homo habeat certam & evidentem cognitionem de credibilitate mysteriorum nostræ fidei. Pro cuius resolutione, fit.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Deo igitur, mysteria fidei Christianæ esse evidenter credibilia. Ita Divus Thomas loco citato, & 1. contra Gentes cap. 6. & Theologi communiter.

224 Probatur primò ex illo Psal. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: per testimonia enim, ea quæ Deus testificatus est, qualia sunt mysteria fidei, intelligi possunt, quæ, ut exponit Lyranus, Credibilia facta sunt nimis, id est magis quam prima principia scientiarum, ac proinde evidenter. Unde Augustinus 7. confess. cap. 10. Facilius dubitarem vivere me, quam esse vera quæ audio.

225 Probatur secundo conclusio ratione generali. Sine aliqua evidentia nihil est cognoscibile per judicium determinatum; nam quod penitus obscurum est, illud est penitus incognoscibile. Ergo sicut sine evidentia scibilitatis nihil est scibile, & sine evidentia probabilitatis nihil est opinabile; ita sine evidentia credibilitatis nihil est credibile. Nec dici potest, voluntatem pro sua libertate

A posse credere, ut voluerit: voluntas enim non potest movere intellectum extra suum objectum, neque ipsa facit objectum, sed supponit; unde non potest movere aut applicare intellectum, ut credat, nisi id quod apparet credibile.

Probatur tertio: Illud est evidenter credibile, quod idoneis testibus, & validissimis argumentis probatur: Sed mysteria nostræ fidei sunt huiusmodi: Ergo evidenter credibilia sunt. Major patet: credibilitas enim non sumitur, sicut veritas, ex connexione intrinseca quæ reperitur inter prædicatum & subjectum, sed ab extrinseco dicenti testimonio, & ab aliis fundamentis & motivis extrinsecis. Minor verò suadetur: nam mysteria nostræ fidei enarravit Unigenitus, qui est in sima Patris (qui Apocal. 1. Testis fidelis, appellatur, & Joan 8. de seipso dicit: Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati) Propheta prædicaverunt, Martyres testati sunt, Confessoresque doctissimi & sanctissimi docuerunt. Validissimi etiam probantur argumentis, sumptis ex prædicatione ipsorum per oracula Prophetarum; ex miraculis, quæ in illorum confirmationem facta sunt, Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus, ut dicitur ad Hebræos 2. ex conversione mundi ad fidem Christi; ex modo mirabili quo fides Christiana in mundum introducta, propagata, & conservata fuit; & aliis argumentis digressionem sequenti exponendis, quæ breviter insinuat Augustinus libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. ubi ait: Multa sunt quæ in Ecclesia me iustissime tenent, consensus populorum & gentium, autoritas miraculis inchoata, spe aucta, charitate firmata, & veritate nutrita. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus mandavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum. Tenet denique ipsum Catholicum nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnes heretici se Catholicos dici velint, quærent tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hereticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Similia credibilitatis motiva indicat Picus Mirandulanus Epistola 1. dicens: Magna infamia est, Evangelio non credere, cuius veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolica resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, Damones consentunt. Sed longe maior infamia est, de veritate Evangelii non dubitare; viveretamen, quasi de eius falsitate non dubitares.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

E Obijcies primò: Si mysteria Christianæ Religionis essent evidenter credibilia, vel essent evidenter credibilia fidei divinæ, vel fidei tantum humanæ? Neutrum dici potest: Ergo non sunt evidenter credibilia. Minor quoad secundam partem videtur certa, quidquid in contrarium dicat Vazquez: Si enim mysteria nostræ fidei essent evidenter credibilia fidei tantum humanæ, non posset homo prudenter eis majorem fidem quam humanam adhibere, utpote cum non sit major fides rebus adhibenda, quam ea quæ videntur esse credibiles. Probatur verò quantum ad primam: Primò quia cum esse credibile fidei divinæ, sit denominatio desumpta à fide divina, tanquam à forma extrinseca, & ef-